Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8408
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

.L.

Sequitur liber tercius. De virtutibus et vicijs illis contrarijs. C. primum de prologo:~

.C. I.

IN precedentibus duobus libellis de fidei nostre articulis et ecclesie sacramentis Et si non sicut debui dixi. Tamen christo auxiliante quod potui teste deo mente fideli. Nunc autem christo meum comitante virtute Occurrit de virtutibus aliqua dicere per quas contingit ad beatitudinem pervenire et finem bonorum omnium obtinere Nam omnem hominem per naturam appetere esse beatum Ex ipsis nature principijs medullitus animalibus humanis impressus Sic certus est homo omnis & neminem nisi stultum dubitare contingit. Omnis enim ut Boecius ait hominum cura mortalium quam multiplicium studiorum labor exercet. diverso quidem calle procedit sed ad unum beatitudinis finem nititur pervenire Et est ut ait finis summum bonum omnium bonorum plenissimum Quod dum fuerit quis adeptus nil queratur ulterius eo quod in eo sit status bonorum omnium aggregacione perfectus Sine enim hoc summo bono quocumque alio conquisito impossibile est Quod beatus sit aliquis homo. Est enim ut philosophus quidam platonicus ait Tam delicata visio illa divina tanto quod amore dignissima ut quid haberi possit illa non habita hominem faciat miserum non beatum. Nam vas quod tanti corporis capax existit nullo corpore illo minore repleri poterit Sicut verum esse experiencia certa convincit. Quia mens hominis dum esse capax existat quod nullo minore deo perfecte possit Ostensiva vero nobis ostendit Verum omne quod est et quod eciam esse potest deo utique minus eo est Quod in infinitum omne bonum aliquid sit excedens. Que enim comparacio centri ad circumferenciam. Que est comparacio puncti ad lineam Ergo multo fortius Que

est comparacio eius